

communibus bonis, vel ad ostensionem mutuae charitatis; unde Agape vocabatur, ut colligitur ex Tertull. in Apologet., cap. 39; et dicebatur cena, vel quia hoc nomine vocari potest omne convivium, vel quia fiebat hora noctis, ut Tertull. indicat; dominica autem dicebatur, quia fiebat ex charitate, vel ad imitationem Domini, quam expositionem aliquantulum immutatam habet ibi Cajet.; dicit enim sermonem esse de prandio, vel cena, quam singulis annis faciebant fideles in memoriam cenae dominicae. Secundo dicit Claudius Patres antiquos non fuisse usos hac voce ad significandum hoc sacramentum; unde concludit tertio, nec a nobis usurpandum esse, quod nova sit, et ab haereticis introducta. Ego vero, quod ad secundum punctum attinet, video, antiquos Patres saepe hoc nomine appellatione sacramentum hoc, ut constat ex Basilio, in regulis brevioribus, in 310; Nazianz., orat. 2, vocat cenam Evangelicam; et Nicetas super Nazianz., orat. 40 § Et illi quidem, vocat cenam mysticam; August., lib. 2 de Serm. Domini in monte, cap. 12, vocat cenam dominicam; idem, epist. 188, et habetur in c. Liquido, de Consecrat., d. 2, et serm. 33 de Verbis Domini, ita exponit parabolam Lucae 14 de homine qui fecit cenam magnam. Potuit autem hoc sacramentum ita vocari vel ab institutione, quia in cena institutum est, vel certe, ut dicebam, quia idem est cena, et convivium, ut patet ex dicto loco Lucae, et Apocal. 19: *Beati, qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt.* Unde, quod attinet ad locum Pauli, quamvis praecedens expositio probabilis sit, et Graecorum, Chrysost., OEcumen., et Theophyl. ibi, et ejusdem Chrysost., in Hom. *Oportet haereses esse*, tom. 3, tamen citati Patres intelligere videntur locum illum de hoc sacramento; et est expositio satis accommodata textui, quam sequuntur D. Thom., Theodoret., D. Hieronym., Anselm., Glossa, et Lyr. in Paulum. Denique, quod pertinet ad usum hujus vocis, quamvis in illa per se nullum sit periculum, tamen hoc tempore, quo haeretici illa abutuntur ad insinuandos suos errores, scilicet, ut nec jejuni, nec servando Ecclesiasticum ritum, conficiant sacramentum hoc, ideo vel abstinendum est omnino, vel parce et prudenter illa utendum, ut notavit Concil. Coloniense, tractatu de Eucharistia; Petrus Soto, lect. 4, et alii moderni.

4. Secundo, sunt varia nomina sumpta ex usu hujus sacramenti; et hinc primum vocatur hoc sacramentum *communio*, Graece

*κοινωνία*, Actuum 2, 4 Corint. 10. Circa quam vocem advertendum est, varios esse illius usus; interdum enim significat participationem, seu communicationem fidelium in spiritualibus bonis, quomodo in symbolo confitemur Sanctorum communionem; aliquando *communio* significat objectum, seu quasi formam illam, qua per excommunicationem privantur fideles, ut constat ex decretis, 11. quaest. 3, et aliis iuribus, in quibus privari *communione* non significat tantum privari usu hujus sacramenti, sed interna et externa communicatione fidelium. Tertio, quasi per antonomasiam significat haec vox usum hujus sacramenti, ut patet ex Cyprian., epist. 40, et in expositione orationis dominicae. Quarto, tandem ipsum sacramentum hoc nomine interdum appellatur, quia est communis unio, seu conjunctio fidelium, qui edendo idem corpus Christi verum, unum corpus ejus mysticum efficiuntur, juxta illud Pauli 1 ad Corint. 10: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Christi est? unus panis, unum corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Ita Damasc., lib. 4, cap. 44, circa fin.; Augustin., ut Beda refert 1 ad Cor. 10, et habetur in cap. Quia passus, de Consecr., dist. 2; et eodem fere sensu dicit Concil. Trident., sess. 13, cap. 8, sacramentum hoc esse signum unitatis, vinculum charitatis, pacis et concordiae symbolum, quia singulari modo perficit et significat unitatem corporis Christi mystici. Hinc etiam *synaxis* appellatur a Dionys., cap. 3 Eccles. Hier.; illa enim vox congregationem fidelium significat, ut patet ex Chrysost., Homil. 9 ad populum; et propterea accommodatur ad hoc sacramentum significandum, quia illo potissimum fideles in unum congregantur; imo semper in Ecclesia ad usum hujus sacramenti potissimum congregari solebant in templo, ut constat ex 1 Cor. 14, et ex Justino, apolog. 2 pro Christianis, in fine, et Tertull., lib. de Orat., cap. ult., ubi dicit, solvendam esse orationem, corpore Domini accepto. Propter hanc etiam mutuam unionem Ignat., epist. 14 ad Ephes., illud vocat, gloriam Dei et pacem Christi, et exhortatur fideles, ut crebrius ad Eucharistiam congregentur propter vinculum pacis et unitatis; Cyprian. vero saepe vocat pacem, hoc sacramentum; unde apud illum dare pacem lapsis, idem est, quod ad communionem eosmittere, ut constat ex epist. 10 et 29 ad Clerum Romanum, et 30 quae est Cleri Romani ad ipsum. Hinc deni-

que olim mos fuit Romanis Pontificibus in signum pacis et charitatis mittere Eucharistiam ad Episcopos Romam venientes, ut refert Niceph., lib. 4 Histor., cap. 39; Euseb., lib. 5, cap. 24.

5. Est autem hoc loco obiter adnotandum, circa hoc nomen *communio*, in jure canonico solere interdum distingui *communio* laicam a clericali, ut in Concil. Elibertino, cap. 76; Sardicensi, cap. 2; Agathensi, cap. 50; distinguit etiam Siricius Papa, epist. 4, cap. 11; Felix III, epist. 4, cap. 2, in quibus locis clerici propter aliqua crimina excluduntur a clericali *communione*, et ad laicam tantum admittuntur; quae autem fuerit haec diversitas, quaeve harum vocum significatio, obscurum est. Quidam dicunt *communio* sacerdotalem esse illam, quae fit a sacerdote ad complementum sacrificii; et consequenter omnem aliam, quae extra sacrificium fit, vocari laicam *communio*. Sed hoc nullo modo potest consistere; nam in d. Concil. Elibertino diaconus privatur *communione* clericali, et laica tantum illi permittitur; at vero diaconus non est capax sacerdotalis *communio* in priori sensu: ergo. Item in praedictis decretis non solum sacerdotes, sed omnes clerici in universum arcentur a clericali *communione*, eisque permittitur sola *communio* laica. Secundo, alii per *communio* laicam intelligunt *communio* in una specie panis; clericalem vero in duabus; haec interpretatio difficilis creditur est; quia olim, quando citata decreta condita fuere, *communio* sub utraque specie etiam laicis licebat, et erat in usu; ergo non erat, cur *communio* sub una specie, laica diceretur; nam clericis, quibus permittitur *communio* laica, permittitur quidquid laicis licebat; at laicis licebat *communio* sub utraque specie; ergo hoc etiam permittitur clericis; ergo tota illa erat *communio* laica. Adde, non constare ex aliqua historia, aliquo tempore, concessam esse *communio* nem sub utraque specie omnibus clericis non sacrificantibus, negatam vero fuisse laicis; ergo non videtur commode illa distinctio explicari ratione unius, vel duplicis speciei. Tertio, alii per *communio* laicam intelligunt eam, quae fiebat inter laicos, et in loco laicorum; ut enim legitur in Concil. Tolet. IV, cap. 17: *Sacerdos et diaconus ante altare communicent; clericus in choro; extra chorum populus;* et in Bracharens. I, cap. 31, sic scribitur: *Placuit, ut intra sanctuarium altaris*

*ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut et antiquis canonibus institutum est.* Clerici ergo aliquando in poenam solum cum laicis, et in loco laicorum admitterentur ad *communio* nem; et tunc dicebatur illis permitti laica *communio*. Sed huic expositioni obstat, quod Felix III supra dicit de quibusdam: *Eis communio laica tantum in morte reddenda est.* At vero *communio* in morte, cum non fiat in Ecclesia, nec cum aliis, non potest ex sola locorum distinctione, vel ex consortio laicorum, laica appellari. Et in d. Concil. Sardicensi, *communio* laica etiam in fine quibusdam negatur. Sed dici potest, *communio* nem, quae communiter omnibus fidelibus concedebatur, dictam esse *communio* nem laicam, sumpsisseque denominationem ex loco et conditione laicorum; postea vero retinuisse illud nomen ubicumque daretur; itaque *communio* nem laicam aliquibus permitti, nihil aliud erat, quam ut *communio* carent communi more laicorum; et quando aliquibus hoc concedebatur solum in fine vitae, tunc dicebatur illis permitti *communio* laica pro illo articulo; vel addi potest, clericos non solum in speciali loco, sed etiam proprio aliquo ritu, vel indutos aliquibus vestibus sacris, vel cum propriis insignibus solitos fuisse communicare, qui ritus ex parte observari poterat, etiam in mortis articulo, ita ut tunc etiam distinctio aliqua fieret inter clericos in praedicto ritu; et ita cum conceditur solum laica *communio* pro eodem tempore, idem est, quod concedi solum vulgari ritu laicis communi. Obscurius sane est, quod in Concil. Agath., cap. 2 et 3, de *communio* ne peregrina dicitur, quae solum conceditur quibusdam clericis in poenam, et videtur esse distincta a laica *communio* ne, ut patet ex can. 50 ejusdem Concilii; unde videtur eadem proportione explicanda; nam fortasse peregrinis speciali aliquo ritu dabatur *communio*, vel separatim a propriis incolis, vel aliquo alio signo, quo denotaretur, eum, cui dabatur, extraneum esse ab illa Ecclesia; qua nota afficiebantur interdum clerici aliqui ob delicta sua.

6. Tertio etiam ex effectu, quia perfectissimus et copiosissimus est, alia plura nomina accipit. Chrysost., hom. 45 in Joan., vocat, fontem bonorum omnium; Damasc. supra vocat, carbonem ignitum purificantem animam, ex Esa. 6; et Augustin., lib. 4 de Pecc. merit. cap. 24, vitam vocat, et dicit hanc

usitatum in Africa appellationem; Ignat., epist. 14, etiam ab effectu vocat, pharmacum immortalitatis, mortis antidotum; et ep. 15, vocat charitatem, ac vitam æternam. Ex quo etiam capite sumi potuit Græcum nomen metalepsis, quod D. Thom. hic interpretatur, id est assumptio, quia per hoc sacramentum Deitatem Filii sumimus; proprie vero significat participationem, ut vertit Billius apud Damasc., lib. 4, cap. 14; per hoc enim sacramentum singulari modo Christi divitias et incarnationem participamus; potest etiam verti transmutatio; et optime convenit in hoc sacramentum, vel ab effectu formæ, quæ substantiam panis in corpus Christi transmutat; vel ab effectu ipsius sacramenti, quia eos, qui illud recipiunt, in Christum spiritualiter mutat.

7. Quarto ex re contenta dicitur imprimis, corpus et sanguis Domini, aut sacramentum corporis et sanguinis Domini, ut constat ex cap. Multi, 1, quæst. 4, cap. Omnia, de Consecr., dist. 2; et Ignat., apud Theodor., dialog. 3, ubi Eucharistiam vocat, carnem Domini nostri Jesu Christi; Augustin., lib. 4 de Pecc. merit., cap. 24, et lib. 21 de Civit. Dei, c. 20; et Tertull., lib. de Orat., c. ult., dicit, solvendam esse orationem corpore Domini accepto; idem lib. de Resurrect. carn., cap. 8, et sæpe alias; multa alia infra referemus agentes de vera præsentia corporis Christi. Ex hac vero eadem radice, per antonomasiam, absolute et simpliciter dicitur sacramentum, vel sacramentum sacramentorum, vel sanctissimum et augustissimum sacramentum, unde Dion., cap. 4 de Cœlest. Hierarch., sacrosanctum mysterium vocat, et cap. 3 ejusdem lib. vocat sacramentorum consummationem; dicitur etiam interdum, mysteria, quia pene infinita in se continet; legatur Ambr., lib. 4 de Sacr., cap. 3, et lib. 5, cap. 2 et 3, et de Consecr., dist. 2, cap. 4, cap. Non oportet, cap. Panem, cap. Pervenit, et alia.

8. Quinto, ex significatione sumpta etiam sunt multa ex dictis nominibus, ut nomen sacramenti, mysterii, etc., a Tertull., lib. de Corona milit.; Ambros., lib. 4 de Sacram., cap. 4; August., 1 de Peccat. merit., cap. 24; specialiter tamen ex significatione gloriæ futuræ, ad quam viam parat, dictum est viaticum, ut D. Thom. hic docet; est enim pignus gloriæ, et ad illam consequendam præparat, atque ad difficilium iter peragendum vires præbet, et ideo Concil. Nicæn.,

cap. 12, vetat, ne exeuntes e corpore, ultimo et maxime necessario viatico priventur; idem Concil. Carthag. IV, cap. 77 et 78; Tolet. I, can. 14; vide Trident., sess. 13, cap. 6; addit etiam Turrianus non tantum viaticum, sed viam etiam appellari; legatur tract. 2 de Euchar., cap. 10.

9. Sexto tandem usitatissimo nomine vocatum est hoc sacramentum, Eucharistia, id est bona gratia, quod nomen, ait D. Thom. sumptum esse vel ex significatione futuræ gloriæ, quia gratia Dei vita æterna, vel ex re contenta, scilicet Christo, qui est summa gratia; Iren. vero, lib. 6, cap. 34, significat ita appellari, quia in gratiarum actionem consecratur, et offertur Deo. Eucharistio enim, verbum Græcum, Latine gratias agere significat; Eucharistia ergo idem erit, quod gratiarum actio. Et idem sentit Justin., Apol. 2 pro Christianis, circa fin., et colligitur ex Hieronym. exponente verba illa Amos 4: *Sacrificate de fermento laudem: Quod tunc optime facimus, quando ex pane Christi corpus conficiendo, illud Deo sanctificamus; vel etiam quando illud in gratiarum actionem sumimus, juxta illud: Quid retribuam Domino? Calicem salutis accipiam.* Quod confirmari potest ex Luc. 22, et 1 ad Corint. 11, ubi dicitur, Christum confecisse hoc sacramentum Eucharistizans, id est, gratias agens; quo loco Matthæus et Marcus legunt, Eulogizans, id est, benedicens; quam benedictionem fuisse ipsamet consecrationem testatur D. Thom. infra, quæst. 78, art. 4, ubi de hac re latius dicturi sumus; sic etiam Cyrill., epist. 10 contra Nestorium in Concil. Ephesin. recepta, mysticam benedictionem, seu Eulogiam hoc sacramentum, seu ejus consecrationem appellat, juxta illud 1 ad Corinth. 10: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Ubi S. Remigius idem advertit. Potest denique hoc sacramentum Eucharistia appellari ab effectu, quia magnum gratiæ cumulum confert, vel certe, quia ipsamet magnum donum Dei est, magnaque gratia, de qua nonnulli exponunt illud ad Hebr. 12: *Habemus gratiam, per quam serviamus, placentes Deo, ut videre licet in Turriano, qui tract. 2 de Eucharistia, cap. 13 et cap. 19, varia Scripturæ testimonia congerit, quibus probat, hoc sacramentum in Scriptura sacra gratiam appellari; ac denique Cyprian., in lib. de Lapsis, salutarem gratiam, illud appellat.*

## ARTICULUS V.

Utrum institutio hujus sacramenti fuerit conveniens (infra, quæst. 74, art. 4, corp., et ad 1, et quæst. 80, art. 8, ad 1; et 4, disput. 8, q. 1, art. 3; et 1 Cor. 11, lect. 4, col. 4, et lec. 5, col. 1, fin.).

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur, quid non fuerit conveniens institutio istius sacramenti. Ut enim Philosophus dicit in 2 de Generatione, ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus. Sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale, ut Dionys. dicit 2 cap. Eccles. Hierar. Ergo per baptismum etiam nutrimur. Non ergo fuit necessarium instituire hoc sacramentum quasi spirituale nutrimentum.

2. Præterea, per hoc sacramentum homines Christo uniuntur, sicut membra capiti. Sed Christus est caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, ut supra dictum est (quæst. 8). Ergo non debuit institutio hujus sacramenti differri usque ad cenam Domini.

3. Præterea, hoc sacramentum dicitur esse memoriale Dominicæ passionis, secundum illud Luc. 22: *Hoc facite in meam commemorationem; sed memoria est præteritorum.* Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Christi passionem.

4. Præterea, per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quæ non nisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionem et resurrectionem, ut patet Matth. ult. Ergo inconvenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

Sed contra est, quod hoc sacramentum est institutum a Christo, de quo dicitur Marc. 7: *Bene omnia fecit.*

Respondeo dicendum, quod convenienter hoc sacramentum institutum fuit in cœna, in qua scilicet Christus ultimo cum suis fuit conversatus. Primo quidem, ratione continentiæ hujus sacramenti. Continetur enim ipse Christus in Eucharistia, sicut in sacramento. Et ideo, quando ipse Christus propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit, sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda ejus imago. Unde Euseb. Emis. dicit (habetur de Consecr., d. 4, cap. Quia corpus assumptum, homil. 5 in Pascha Domini, non longe a princ.): *Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat, ut die cœnæ*

sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Secundo, quia sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus, secundum illud Roman. 3: *Quem posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid representativum Dominicæ passionis. Cujus in veteri quidem testamento præcipuum sacramentum erat agnus paschalis, unde et Apostol. dicit 1 Cor. 5: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Successit autem et in novo Testamento Eucharistiæ sacramentum, quod est rememorativum præteritæ passionis, sicut et illud fuit præfigurativum futuræ. Et ideo conveniens fuit, ut imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum institueret. Unde Leo Papa dicit (in serm. 7 de Pasch. Dom., inter princ. et med.), quod, ut umbræ cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguis aufertur, et legalis festivitas, dum mutatur, impletur. Tertio, quia ea, quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus magis memoriæ commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero, ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur, ut B. Alexand. Papa dicit (in epist. ad omnes orthodox., a med. illius, tom. 4 Concil.), nihil in sacrificiis majus esse potest, quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, ideo, ut in majori veneratione haberetur, Dominus, in ultimo discessu suo a discipulis, hoc sacramentum instituit. Et hoc est, quod August. dicit in lib. Resp. ad Jan. (in epist. 118, cap. 6, a med., tom. 2): *Salvator, quo vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat.*

Ad 1 ergo dicendum, quod ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus, non tamen eodem modo nobis advenientibus. Nam ea, ex quibus sumus, nobis adveniunt per generationem; eadem autem, in quantum ex eis nutrimur, nobis adveniunt per manducationem. Unde, sicut per baptismum regeneramur in Christo, ita per Eucharistiam manducamus Christum.

Ad 2, dicendum, quod Eucharistia est sacramentum perfectum Dominicæ passionis, tanquam continens ipsum Christum passum. Et ideo non potuit institui ante incarnationem; sed tunc habebant locum sacramenta,

quæ erant tantum præfigurativa Dominicæ passionis.

Ad 3, dicendum, quod sacramentum istud fuit institutum in cœna, ut in futurum esset memoriale Dominicæ passionis, ea perfecta. Unde signanter dicit: *Hæc quotiescumque feceritis, de futuro loquens.*

Ad 4, dicendum, quod institutio respondet ordini intentionis. Sacramentum autem Eucharistiæ, quamvis sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius intentione. Et ideo debuit prius institui. Vel potest dici, quod baptismus jam erat aliquantulum institutus in ipso Christi baptismo, unde et jam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, ut legitur Joan. 3.

#### COMMENTARIUS.

1. Quanquam videatur D. Thom. proponere absolutam quæstionem de convenientia hujus institutionis, re tamen vera solum agit de circumstantia temporis, in quo illa institutio facta est, et merito, tum quia hoc proprie pertinet ad quæstionem, An est, quam in hac quæstione versat; tum quia de convenientia ipsius institutionis in communi jam supra dixerat; in particulari vero de convenientia materiæ et formæ, et præcipui mysterii hujus sacramenti, scilicet realis præsentia corporis Christi, infra propriis locis dicturus est. Respondet igitur convenientissime instituisse Christum hoc sacramentum in ultima cœna, cum jam suæ passioni et morti esset vicinus, quod tribus rationibus ex sanctis Patribus depromptis elegantissime et clarissime confirmat; neque ejus littera majori indiget expositione; ut res autem magis intelligatur, propriam de ea instituimus disputationem.

2. Solutiones argumentorum faciles sunt, præsertim solutio ad 4; in solut. vero ad 2 sunt illa verba difficilia: Eucharistia est sacramentum perfectum, tanquam continens Christum passum, et ideo non potuit institui ante incarnationem. Sed quia de hac re infra sum ex professo disputaturus, hic solum quoad mentem D. Thom. existimandum non est illum loqui de potentia absoluta, propter solam realem Christi præsentiam; id enim esset improbabile, ut prædicto loco quæst. 75 ostendam. Et non est necessarium ad intentionem D. Thom. hic, ubi non de possibili absolute, sed de eo, quod fuit conveniens, tractat; mens ergo D. Thom. fuit docere, primo sacramentum hoc, ut est signum rei

præteritæ, scilicet passionis Christi, non potuisse institui, ut esset in usu ante ipsam passionem, quia fuisset falsa significatio. Secundo, si consideretur forma hujus sacramenti, quatenus designat personam Christi subsistentem in natura humana, et per eam loquentem, ut in rigore significant illa verba: *Hoc est corpus meum*, sic impossibile esse intelligere institutionem talis sacramenti, cum eadem forma et significatione, antequam Christus in suo corpore existeret, quia non potuisset, illud relativum, *meum*, referre eodem modo corpus Christi; potuisset tamen hoc sacramentum, quatenus est quodammodo mysterium realiter continens corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini, ex Dei potentia et voluntate institui ante naturalem existentiam humanitatis Christi, absque illa præcisa verborum forma, vel significatione rei præteritæ; in hoc enim nulla contradictio involvitur. De solutione ad 3 inferius dicemus. In solutione ad quartum breviter advertatur, secundam solutionem esse veram et propriam; certum est enim sacramentum baptismi prius tempore institutum esse, quam sacramentum Eucharistiæ, quamvis præceptum baptismi post Christi mortem datum fuerit, ut supra in proprio loco tractatum est.

#### DISPUTATIO XLI.

##### DE TEMPORE INSTITUTIONIS HUIUS SACRAMENTI.

*Tertia disputatio de Eucharistia.* — Multa possunt sub hoc titulo comprehendere, quorum resolutio ex materia de incarnatione facile constat, supposito uno principio fidei, scilicet Christum instituisse hoc sacramentum in nocte cœnæ, pridie quam pateretur, prout definitum est a Clemente V, cum Conc. Vienne, in Clement. de Reliquiis et veneratione Sanctorum, et a Conc. Trid., sess. 43, c. 1 et 2, ubi dicit, hanc esse antiquorum Patrum traditionem; nam Mat. 26, Marc. 14, Lucæ 22, dicitur, tunc Christum consecrasset panem et vinum, suisque discipulis tradidisse, et præterea addidisse illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Per quæ dedit Apostolis, et eorum in sacerdotio successoribus potestatem et mandatum illud conficiendi, et distribuendi fidelibus. Unde aperte colligitur non effecisse illud opus, tanquam unum ex aliis miraculis, quod ipse solus in sua persona effecit; sed instituisse illud in sacramentum

perpetuo in Ecclesia mansurum; constat etiam non instituisse illud antea, et tunc illo fuisse usum, sed illam fuisse primam institutionem, primumque usum hujus sacramenti, non solum quia nulla mentio talis institutionis ex Evangelio, vel ex alia traditione habetur; nam licet Joan. 6, hoc sacramentum fuerit promissum, nunquam tamen ante cœnam legitur exhibitum; sed etiam, quia ex modo narrationis, et verbis Evangelistarum satis constat factum illud fuisse novum, et nunquam antea a Christo usitatum; constat ergo tunc primum factam esse institutionem; nam ibi fuit designata materia et forma hujus sacramenti, et data potestas illud conficiendi verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut explicuit Concil. Trident., sess. 22, can. 2; unde ex tunc etiam cœpit habere vim promissio facta a Christo, Joan. 6, de effectu et gratia per hoc sacramentum conferenda; illa enim ad tempus futuræ institutionis referebatur; qua facta, cœpit quasi obligare, imo in institutione quodammodo includi; institutum enim est hoc sacramentum, ut memoriale passionis Christi, et signum efficax gratiæ, verusque animarum cibus.

Ex hoc principio facile definiri potest, quo anno, mense et die institutum fuerit hoc sacramentum; constat enim institutum esse inchoato ultimo anno vitæ Christi, qui (ut ego opinor) fuit trigesimus quartus, licet aliquorum probabilis opinio sit, fuisse trigesimum tertium; aliæ enim opiniones non sunt probabiles. Deinde etiam constat factam esse institutionem, primo mense lunari, qui juxta computationem Judæorum incipiebat in prima luna post æquinoctium vernale, qui est apud nos mensis, qui dicitur Martius, quamvis interdum partem aliquam etiam mensis Aprilis sub se complectatur. Denique constat etiam (ut existimo) sacramentum hoc institutum esse 14 luna illius mensis; nam in illa, juxta legem Moysis cœnandus erat agnus Paschalis, in qua cœna, ut dixi, hæc institutio facta est; quod enim Christus ritum illius legis observaverit, et eadem nocte, qua alii Judæi, cœnaverit, latissime in proprio loco ostendi supra, quæst. 46. Tria igitur solum possunt hoc loco desiderari. Primum, in qua parte temporis illius decimæ quartæ lunæ Christus cum Apostolis cœnaverit, et hoc sacramentum instituerit. Secundum est, quo tempore cœnæ, seu quo ordine, respectu aliarum rerum, quæ in cœna gestæ sunt, atque adeo qua hora noctis institutum fuerit hoc sacra-

mentum. Tertium est, quæ fuerit ratio hujus institutionis, id est, cur fuerit in illam noctem ultimæ cœnæ reservata.

#### SECTIO I.

Utrum Christus instituerit hoc sacramentum 14 luna ad exitum tendente, et 15 inchoante.

1. Quæstio hæc definita etiam est ex principio posito, quod Christus instituit hoc sacramentum eadem nocte, qua ultimam legalem cœnam perfecit, adjuncto alio principio a nobis etiam posito supra citata, quæst. 46, disp. 40, sect. 2 et 3, ubi ostendimus, juxta præscriptum legis veteris, Phase fuisse comedendum in fine decimæ quartæ lunæ, et initio decimæ quintæ; atque eodem tempore fuisse a Christo Domino ultimam cœnam peractam. Nihilominus tamen, quia post editionem præcedentis tomi nova quædam controversia inter doctos viros exorta est, quorum scripta, vel tunc evulgata non fuerant, vel ad manus nostras non pervenerant, ideo ea diligentius hoc loco inquirere et examinare decrevi.

2. Consistit autem punctus difficultatis in expositione illorum verborum Exod. 12: *Et servabitis eum*, (id est, agnum) *usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immobilisque eum universa multitudo filiorum Israel, ad vesperam; et difficultas est in illa particula, ad vesperam, an de priori, quæ erat principium diei decimæ quartæ, vel de posteriori, quæ finis erat ejusdem, sit intelligenda.* Hebræi enim dies suos (præsertim in ordine ad suas festivitates vel solemnitates) a vespera usque ad vesperam computabant, juxta illud Levit. 23: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra; dies autem ille decimus quartus, quamvis festivus non esset, tamen ob solemnem ritum Phase erat celebris, ac venerabilis; ideoque eodem modo a vespera incipiebat, et in alia vespera finiebatur; complectebatur ergo duas vesperras, priorem, et posteriorem; et ideo ambiguum relinquitur, de qua earum intelligendum sit supra positum præceptum.* De hac ergo quæstione breve opusculum edidit sapientissimus Magister meus Luysius Legionensis, quod de utriusque agni, typici, atque veri, immolationis legitimo tempore inscripsit; in quo demonstrasse se existimavit, de priori et non de posteriori vespera esse intelligendum; sententiamque tam constanter defendit, ut contrariam, quanquam communem et an-